

consuales, annui redditus, reddendas Nobis anno qualibet, in villa Castri-Theodorici, in octava festi Nativitatis Domini. Insuper dicti homines Castri-Theodorici totum jus & viagium quod habebant antea in foresta de Yce<sup>a</sup>, Nobis in perpetuum quittaverunt.

(17) Et est sciendum quod si hæc omnia prædicta excederent dictam summam novies centum librarum, quicquid supererit, nostrum erit & Nobis remanebit; & si aliquid defecerit de summâ prædictâ, homines prædicti tenebuntur Nobis perficere & assidere de suo proprio, usque ad summam prædictam.

Quæ omnia & singula supradicta, ut firma & stabilia permaneant in futurum, præsentibus Litteris<sup>b</sup>, salvo in aliis jure nostro & jure qualibet alieno.

Nos vero Joanna, Dei gratiâ Francorum & Navarræ Regina, Campaniæ Briacque Comitissa Palatina, de cujus hereditate præmissa movere noscuntur, ad majorem omnium præmissorum firmitatem, sigillum nostrum unâ cum sigillo charissimi Domini nostri Regis fecimus præsentibus hîs Litteris apponi. Actum Curtraci anno Domini 1301 mense Maii.

PHILIPPE IV,  
dit le Bel,  
à Courtrai,  
en Mai 1301.  
<sup>a</sup> Il y a ci-dessus  
forestâ de Ryce.

<sup>b</sup> Suppléer,  
Nostrem fecimus  
apponi sigillum, ou  
quelque formule  
semblable.

(a) Lettres de Philippe IV, pour empêcher dans son Royaume le cours des Monnoies étrangères.

PHILIPPE IV,  
dit le Bel,  
à Paris,  
le Dimanche  
après la fête  
de S.<sup>t</sup> Pierre &  
S.<sup>t</sup> Paul,  
(2 Juillet)  
1301.

**PHILIPPUS**, Dei gratiâ Francorum Rex, Senescallo Bellicadri: Salutem.  
Quamvis per Edictum pridem duxissemus expressè & specialiter ad incelabilem omnium noticiam prohibendum ne monete quæcumque, nisi nostre tantum, currerent vel ponerentur à quolibet in Regno nostro, seu à quibuslibet caperentur; nichilominus, quanquam id sub dissimulatione diu transiverimus, ad Nos verissimâ & sepissimâ insinuatione pervenit, quod monete, que precipuè eaduntur apud S. Remigium in Provinciâ, & aliæ extraneæ, vobis etiam scientibus & videntibus & nequaquam contradicentibus, cursum in Senescalliâ ipsâ & ejus ressorto, palam ad omnia, tanquam nostro, habent ab omnibus usualem; in quibus siquidem, vestre pretextu negligentie, magnum senimus detrimentum in nostris habemus, & adhuc in posterum magis yminez accrescendo, nisi adhibeamus remedium oportunitum. Quapropter, Nos dilectis nostris Magistro Johanni Lothoringo Clerico & Martino dicto Martini, jam à Nobis ad tandem Senescalliam propter hoc destinatis, addendo sibi date super hoc potestati, & vobis, per presentes duximus comitendum, quod vos & vestrum quilibet in solidum per vos conjunctim & separatim, vel per alios, de quorum industriâ vobis constet, ubi expedire videritis deputandos, monetas omnes prædictas, tam de S. Remigio quam alias quælibet alienas, apud Montem-Pessulanum, & alibi in totâ Senescalliâ prædictâ & ejus ressorto, in instantis festi Beate Marie Magdalene quinquenâ, singuli eadem die, hoc tenendo medio tempore in secreto, ne ad vicinos interim transeat undè valeam machinare, capiat ubicumque poterint inveniri, & eas tanquam commissas, Nobis absque aliquâ liberatione vel recedentiâ, penitus applicetis: Nobis certificantes monetarum hujusmodi quantitates distinctas, quas, penes quos, & quomodo, sive in quali presumptione captas, unâ cum aliorum valore bonorum suorum legitime estimato; vosque diligentius informetis de illis & super illos qui monetas prædictas, post communem hujusmodi prohibitionem, Edicti noticiam, ad cursum aliquem receperint, posuerint, aut alias deliquerint in præmissis; ipsosque gravibus vel levibus secundum suorum exigentiam delictorum, penis pecuniariis puniatis, ut videritis faciendum: & si aliquod dubium vobis in hîs emerferit vel obscurum, id Nobis vel Curie nostre fideliter intimatis: Damus autem omnibus Ministris & subditis nostris presentibus in mandatis, ut vobis

## NOTE.

(a) Registre du XIV.<sup>e</sup> siècle, coté N.<sup>o</sup> 8409 des MSS. du Roi, fol. 73. M. Ménard a fait imprimer ces Lettres dans son Histoire de Nîmes, Tome I<sup>er</sup>, Preuv. page 142, col. 1, d'après ce Registre.

& singulis vestram, in hiis & ea tangenibus diligenter pareant & intendant. In cujus rei testimonium presentibus nostrum fecimus apponi sigillum. Datum Parisius, die Dominicâ post festum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, anno Domini M. CCCI.

PHILIPPE IV,  
dit le Bel,  
à Paris,  
le Jeudi après  
la Saint Denys,  
( 12 Octobre )  
1301.

(a) Lettres de Philippe IV, portant des modifications quant à l'exécution des Lettres pour la prohibition des Monnoies étrangères.

**P**HILIPPUS, Dei gratiâ Francorum Rex, dilectis Gentibus nostris, ad negocium captionis & inquisitionis monetarum prohibitarum per Regnum nostrum deputatis à Nobis, salutem & dilectionem. Subditorum nostrorum indemnitati providendo, dictarum monetarum prohibitarum Ordinationem nostram moderari volentes, mandamus vobis quatinus Prelatos, Barones & alios subditos nostros, in eorum terris altam & bassam habentes Justiciam, non impediat quia ipsi in terris suis predictis Ordinationem monetarum per Nos factam observari faciant, & puniant, quantum ad eos perinet, hujusmodi delinquentes. Verumptamen in casu negligencie ipsorum, super hoc à Nobis commissum vobis officium etiam in ipsorum subditos exequamini diligenter. Item. Mandamus vobis quatinus si aliquos florenos vel grossos Turonenses, seu quancumque alienam monetam nostram, sive per se, sive cum aliâ monetâ prohibitiâ junctos, super aliquos cepistis, dictam monetam prohibitam retinentes & Nobis applicantes predictos florenos & grossos Turonenses ad monetam nostram, reddatis illis super quos cepistis eosdem, vel eorum valorem, si Nobis fuerint applicati; & pro inveniculis monitis prohibitis domos, arcas, vel bursas cujuscumque, minime perquiratis. Item. Mandamus vobis quatinus inquestas quas incepistis contra Nobiles, Clericos, Capitula, Communias, vel alias personas quascumque, pro eo quod dicitur ipsas monetas prohibitas in Regno nostro cepisse vel allocasse, suspendatis ad presens, non procedentes ulterius in eisdem: illas verò inquestas quas incepistis contra Campsores seu mercatores aut alias personas, super eo quod dicitur ipsos nostras monetas extra Regnum nostrum ad bilhouem extranee monete portasse; vel monetas prohibitas pro mercando de ipsis ad Regnum nostrum aportasse, non portando eas ad monetam nostram, ulterius in eis procedentes, totaliter compellatis, & nostre Curie reportetis, unâ cum certitudine totius valoris bonorum personarum hujusmodi contra quas feceritis inquestas predictas in similibus casibus, cum vobis emerferit vel innoverit, & in ceteris insuper commissum vobis officium contingentibus, Ordinationis nostre dictarum monetarum & prescripte moderationis tenoribus observatis, cum sollicitâ diligentia procedentes, & commissum vobis officium exequentes. Damus autem omnibus fidelibus Justiciariis & subditis nostris, tenore presentium, in mandatis, ut ipsi in predictis & ad ea pertinentibus, secundum predictorum tenorem, vobis obediant diligenter. Actum Parisius, die Jovis post festum Beati Dyonisii, anno Domini M. CCC. I.

## NOTE

(a) Registre du XIV.<sup>e</sup> siècle, coté N.<sup>o</sup> 8409 des M.S. du Roi, fol. 82. M. Ménard a fait imprimer ces Lettres dans son Histoire de Nîmes, Tome I.<sup>er</sup> Preuv. page 143 col. 1, d'après ce Registre.

